

1526 nam cum Moncata, ac Sinveffanus Dux, Cæsaris ad Pontificem Orator illi significassent, Imperatorem Mediolanensem ditionem libere Sfortiæ relicturum; dummodo arx Protonotario Caracciolo in custodiam tradatur, donec Sfortiæ causa, non exactis calculis, sed ut dignitati Cæsaris consulatur, cognita fuerit, quæ inter Venetos, Austriacosque controversiæ sint, honesta ratione compositurum, copias ex Insubribus educturum: e contra nil aliud a Pontifice petere; nisi ut difficultatibus, quæ inter ipsum, & Regem sint, nullo pacto se immiscere velit. Respondit Clemens, nulli ignotum esse, quo semper studio amicitiae cum Imperatore conservandæ exarserit; nihil non egisse, ut Cæsar pacatam Italiam relinqueret, Sfortiæ libertatem restitueret, suspicioneque Principes hujus provinciae liberaret: ea omnia vel pernegasse, vel distulisse: quapropter cum se omni spe dejectum Italicae pacis, & interea arcem Mediolani acri obsidione præcinctam animadverteret, necessitate coactum, ut suæ, aliorumque saluti consuleret, cum Gallis, ac Venetis foedus sanxisse, cui nisi refragari velit, & fidem, jusjurandumque contemnere, aliud consilium inire neque congruum, neque Principe dignum esse. His intellectis Moncata Roma discessit; cunctaque ad bellum vergere, in novosque deduci fluctus cœpere, omnium oculis, animisque inspectantibus, quodnam initium futurarum cladum foret: inde foederatorum vires, Italicum robur, Gallorum impetus æstimantibus; inde Cæsareanos victoriis assuetos, verum pecunia laborantes in plena popularium tumultuum civitate, & innumeris, ut ferebatur, rerum ad bellum spectantium incommodis pressos; cum primum belli initium, felici auspicio Laudis Pompejæ urbis occupatione a Venetis facta, celebratum est. Quod ita evenit.

*Laus a foederatis capta.*

Ludovicus Vistarinus civis Laudensis injuriis, ac contumeliis, quibus quotidie concives a Cæsaris militibus afficiebantur, commotus, qui milites cum Fabritio Maramaldo eorum duce omni genere avaritiæ, sceleris, libidinum in miseros sæviebant, idemque patriæ liberandæ generoso quodam animi instinctu percitus, Petro Pesareo legato antea conceptum animo facinus aperuerat, Venetisque se urbem traditurum sponderat; & cum opportunitas affulsisset, cunctis ad rem gerendam

ne-